

quas de Rege tenebant, de jure & consuetudine spectavit. Rex enim Guilielmus primus (quod ejus avi conquerebantur Ecclesiastici, verum succedentis honori duxerunt maximo) *Episcopatus & Abbatis* que Baronias tenebant in pura & perpetua eleemosyna, & eatenus ab omni servitute seculari libertatem habuerant, sub servitute statuit militari, irrotulans singulos *Episcopatus & Abbatis* pro voluntate sua, quot milites sibi & successoribus hostilitatis tempore à singulis voluit exhibere. Iam inde Ecclesiastici illi omnibus quibus ceteri regni Barones gavisi sunt immunitatibus, nisi quod à Paribus non judicentur. Cum enim illis juxta Canones Ecclesiæ causis sanguinis interesse non liceret, in iisdem causis x i i viris juratis quoad factum judicandi relinquuntur. Sed an hoc sit juris explorati dixerint ipsi Iurisperiti.

Matth.
Paru.

Vavafores.

Sigoniu.

Nobiles
minores.

Equites si-
ve Milites.

Cur Kni-
ghts Mil-
ites Latine
dicti.

Solidarii.

Vavafores, sive *Valvafores* proximum post Barones locum olim tenuerunt, quos à Valvis Iuridici deducunt. Hæc dignitas à Francis ad nos promanasse videtur. Cum enim illi rerum in Italia potirentur, *Valvafores* illos dixerunt, qui à Duce, Marchione, Comite, aut Capitaneo plebem, plebisque partem acceperant, & ut Bütelerius Iuriconsultus inquit, *summæ coërcitionis, sed non nundinarum & mercatus* jus habuerunt. Rara hæc fuit apud nos dignitas, & siqua fuit, jam olim paulatim defuit. Chauceri enim seculo non magna, cum ille de suo *Frankelino*, sive ingenuo colono, *A Sheriffe had he beene, and à contour Was no where soch à worthy Vavafour.*

Nobiles minores sunt Equites aurati, Armigeri, & qui vulgo *Generosi & Gentlemen* dicuntur. Equites aurati, qui & *Milites* Latine Anglis Iuriconsultis, apud omnes fere gentes ab equis nomen invenerunt, *Cavellieri* enim Italis, *Chevalier* Gallis, *Reuter* Germanis, *Margogh* Cambrobritanis ab equitando dicuntur. Anglis solummodo *Knights* vocantur, vocabulo quod antiqua Anglorum, uti Germanorum lingua ministrum sive servientem & juvenem promiscue significat. Hinc in Euangeliis antiquis, lingua Anglica pro Christi Discipulis *Leornung Cnyhts*, alibi pro Cliente, *Incnyht* legimus, & *Radcnyhtes* memorat Bractonus noster Iurisperitus antiquus, id est, *Ministri Equites*, qui tenebant ea lege terras suas, ut Domino equis inservirent, unde truncato nomine, ut contractius loqui gaudemus, *Knights* nobis remansisse olim existimavi.

Vnde autem illi apud nostrates in legibus, & omnibus à Normannica victoria scriptis *Milites* Latine dicti fuerint vix video. Nec me tamen latet, quod dilabente Romano imperio, Militum appellatio translata fuerit ad eos qui circa latus principis agentes munera majora in Comitatu principis gesserunt. Sed si quid hac in re video; illi sic primo apud nos appellati fuerunt, qui prædia beneficiaria sive *Feuda* tenuerint ut militarent. Feuda enim illa *Militaria* dicta fuerunt, & qui alibi *Feudatarii*, hic *Milites* dicebantur, ut *Milites Regis*, *Archiepiscopi Cantuariensis*, *Comitis Rogeri*, *Comitis Hugonis*, &c. quod ea lege prædia ab illis accepissent, ut illis militarent, fidemque & hominum præstarent; cum alii qui pro solidis militarent, *Solidarii* & *Servientes* appellarentur. Cæterum hi, sive *Milites*, sive *Equites* appellare

libet, quadruplici sunt apud nos discrimine, honoratissimi autem habentur illi ordinis *Georgiani Garterii* sive *Periscelidis*, secundi *Baneretti*, tertii *Balnei*, & quarti qui simpliciter nostra lingua *Knights*, Latine *Equites aurati*, sive *Milites* sine additione dicuntur. De *Georgiani* ordinis militibus suo loco cum ad *Windesoram* pervenerimus. De reliquis nunc pauca.

Baneretti qui aliis *Baroneti* falso dicti, nomen habent à vexillo, concessum enim illis erat militaris virtutis ergo quadrato vexillo, perinde ac Barones uti, unde & *Equites Vexillarii* vere à nonnullis vocantur, & Germanis *Banner-heires*. Horum antiquitas ultra Edwardi Tertii tempora cum Angli bellicis laudibus abundarent, repetere non possum: ut tunc primum excogitatum hunc titulum honorarium in bellicæ virtutis præmium, donec dies certiora docuerit, crediderim. In actis publicis ejus ævi fit mentio inter titulos militares *Banerettorum*, *Hominum ad vexillum*, qui iidem videantur, & *Hominum ad arma*. Legique Chartam Regis Edwardi tertii, qua Iohannem Coupland in *Baneretti* statum quod Davidem secundum Scotorum Regem in prælio apud *Dunelmiam* cepisset his verbis erexit: *Volentes ipsum Iohannem, qui Davidem de Bruis cepit, & gratanter nobis liberavit, propter ipsius probitatis & strenuitatis merita taliter premiare, quod alii per hoc exemplum capiant nobis temporibus futuris fideliter obsequendi, eundem Iohannem in statum Baneretti posuerimus; & pro eodem statu manutenendo concesserimus pro nobis & heredibus nostris eidem Iohanni quingentas libras percipiendas sibi & heredibus singulis annis, &c.* Memoria dignum est hic formulam adnotare ex *Frossardo*, qua Iohannes Chandos vir suo tempore militari laude florens factus sit *Banerettus*. Cum jam Edwardus Walliæ Princeps belli aleam experturus erat pro Petro Castellæ rege contra Henricum nothum & Gallos, Iohannes Chandos Principem accessit, vexillumque suum complicatum illi in manus tradidit, sic affatus: *Domine mi, hoc meum est vexillum, placeat vobis explicare ut hodie efferam. Sunt enim mihi favente Deo, ad hoc proventus satis magni. Princeps vero & Petrus Rex Castellæ qui adstitit, acceperunt in manus vexillum, & illi redderunt explicatum cum hujusmodi verbis: Domine Iohannes quod fœlix faustumque tibi sit, & in gloriam cedat, viriliter agas, & ostendas qui vir sis. Ille accepto vexillo, alacris ad suos se contulit, & attollens, Comitones inquit, ecce vexillum meum & vestrum, si ut vestrum animose propugnetis. Posterioribus temporibus qui ad hunc honorem evehendus, vel ante prælium ut animi excitarentur, vel post prælium, ut virtuti suus constaret honos, gestans signum oblongum, *Pennon* vocant, in quo sua depinguntur insignia, inter duos seniores Equites præeuntibus *Tubicinibus*, & *Heraldibus* coram Rege, vel *Prorege* adducuntur, qui bene ominatus jubet signi extremitatem abscindi, ut ex oblongo vexillum fiat quadratum.*

* De *Militibus* sive *Equitibus* *Balnei* nihil antiquius mihi legenti hætenus occurrit, quam in usu fuisse apud veteres Francos, & Henricum Quartum Angliæ Regem ea die qua inauguratus in Arce Londinensi quadraginta sex Armigeros, qui

Baneretti.

Par. 2.
Pat. 15.
E. 3. m. 22.
& 23.

* Milites
Balnei.